



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

lxxxii. Ad obsessas fauces.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Ad angustias pectoris.

CVM angustia laborat in cibo capiēdo, & violenter transglutit, difficultatem cibi transmittendi affert gutturis inflammatio. Sanabis, si partem vnam ramenti ferri, & carnis calidæ alteram partem, ouique vitellum vbi miscueris, accipitri dederis.

Ad anginam.

OLEI, vini, mellis æqualis mensura cum carne detur edenda.

Ad obsessas fauces.

LASER in vino teratur, hisque perfusa caro accipitri detur. Solet sæpe accipitribus ex nimia edacitate, vel ex noxio humore intus infra pectus, & cor, & maxillas quiddam humoris plenum nasci, simile pustulis aut strumis; cui nisi citò succurratur, consumit auem, nec ita multo post cognosces affectum, si vides ipsum frequenter expetere aquã. cum enim aquam aspicit, aut puteum, aut stagnum, ardentè illuc cupit ire, & crebro euolare contendit, inflammato humore exardescens.

Hunc ita sanum facies. Ouillam carnem frigidam, melle sparsam vno die tantum cibatus dato: altero die Hispanicum oleum cum carne victui præbeto. Si nihil horum iuuat, suillas fetas asperas minutim concisas, cum carnibus mistas accipitri edendas dato. delapsa enim subtilia fetarum fragmenta, atque incidentia in pustulas, exulcerant ipsas, & dirumpunt. itaque effuso humore, animans liberatur. Hoc vbi feceris postridie, ad eius curationem melle vtere, & prorsus ipsum morbo liberaueris.

Remedium aduersus sitim.

ACCIPITER crebrò bibens, & seipsum sæpe proiciens ex manu gestantis cum aquam videt, ostendit circa guttur, aut ingluuiem, aut axillas, strumas intus esse, quæ ipsi sitim præbent: persclitatur, nisi promptum remedium affertur. Sanus efficitur, si ipsi carnes nunc melle, nunc oleo rosaceo illitas dederis, eique aquam quærenti crocum cum vino amineo in puluerem resolutum præbueris. Aliqui ita medentur: primum ipsi viuam columbam interficiendâ præbent, quam cum comedere incipit, tum illius sanguine & carne